


Biblioteka Jagiellońska
stdr0015356

EPISTOLA

GENEROSI DOMINI GEORGII CHIAKOR SECRETARII VNGARI, DE MORBO ET OBITV SERENISSIMI MAGNI STEPHANI REGIS POLONIÆ.

AD MAGNIFICVM WOLFGANGVM KOWAciouium ſupremum Regni Tranſyluaniæ Cancellarium.

CVM EIVSDEM EXAMIME.

Quæ ex Vngarico in Latinum ſermonem nuper quam fideliſsimè ſunt conuerſa.



CLAVDIOPOLI.



EPISTOLA

DE MORBO ET OBITV SERENISSIMI MAGNI STEPHANI REGIS POLONIÆ.

MAGNIFICO DOMINO VVOLFGANGO KOVVAciouio ſupremo Tranſyluaniæ Cancellario Georgius Chiakor S. P. D.

LItteris Magnifici Domini Veſelini ad Illuſtriſsimum Principem & Magnificos Dominos Senatores, de funeſta morte Sereniſſimi Regis noſtri, nolui prętermittere, quin meas quoque adiungerem ad Magnificentiam veſtram, fuſiùs omnia narrando, quæ & quomodo contigerint: vtpote qui diligentiſsimè cuncta de die in diem obſeruauerim & annotarim. Quod ſanè non niſi multis cum lachrymis à me fieri poteſt. Quis enim obitum tanti Regis non deploret? nos verò Vngari potiſsimùm, qui, veluti greges ſine paſtore palantes, in hac regione oberramus, quorum ſpes vnà cum fructu tot tantorumq; meritorum noſtrorum derepente euanuit, & cum ipſo mortua eſt. Sed iam præſtat hiſtoriam ipſam aggredi, breuibusque omnia perſtringere.

Quarta die Decembris Rex Serenissimus reuertitur Grodnam bene sanus ex venatione trium dierum. qua ipsa die, licentiâ à Rege impetratâ, infeliciter discedit Doctor Buccella ad puerulum suum nepotem in bonis eius ægrotantem, vt ego quidem intellexi. Rex interim bona valetudine vtens, venationi indulget die quinta & sexta. Septimâ demum, quæ fuit dies Solis, sentit corporis grauedinem quandam, & affectum, veluti pulicum morsum, quo tamen non obstante, vtpote sibi familiari, fuit in templo, & in publico de more pransus est. Cœnare deinde recusat, cupiens ex præscripto Buccellæ fricari per vniuersum corp⁹, quo affectionem eiusmodi abigebat. Sed eo absente, Doctor Simonius frictionem manuum tantùm & pedum fieri consuluit, ne humores commoti fluxione crus molestent, persuadetq; ei ad conciliandum somnum, vnum atq; alterum generosi vini poculum cum pauco pane sumere. Quo facto, dimisso Simonio, dat se quieti. Sed nequaquam somnum ob calorem quendam capitis capere potest. Surgit itaque, & se confert ad cubiculum secretum; vbi cum semper apertę essent fenestræ, corp⁹ refrigerat. Inde reuertendo in proximum suo cubiculo locum, derepente, sublato omni motu & sensu corporis, cadit, accipitq; vulnus ad scamnum in genu dextro, latum satis & longum, non tamen profundum: abrasa præterea cute ad parietem in dextro tẽpore prope supercilium. Quo audito, Generosus Dominus Lepselinus, qui interim lectum sternebat, accurrit, arreptumque humi stratum

eleuat,

eleuat, & cum perizomia sanguinolentum ostenderet, Rex minimè recordabatur, quomodo id euenisset, & nihilominus sua sponte ad lectum ire potuit. Accersitur Magnificus Veselinus & Simonius, qui statim oui albumine cum pauco thure vulneri adhibito, pronuntiat id mali contigisse ob animi deliquium, siue leuem vertiginem inter somnum & vigiliam propter frigus; sed nihil periculi fore, modò velit sequenti die de simplici manna in iure capi accipere, tutiùs rei gerendæ gratia, & aliquantisper in lecto se continere propter vulnus, quò tantò citiùs sanetur. Consentit Rex, mittitq; summo mane Veselinum ad Magnificos Cancellarios, ne vllis negotiis eâ die molestetur. Iubet præterea grauiter, nemini dicant de casu; sed si quis interroget, consuetâ fluxione cruris dextri ipsum contineri in cubiculo asserant. quin claues cubiculi, vt Veselinus accipiat, iubet. His ita compositis, nemo, præter ipsos tres, ad Regem ire permittitur. Simonius ipse medicamentum supra memoratum ibidem præparat, ac præbet: prandium quoque per manus eorundem defertur. Comedit Rex eâ die de pulpa caponis & de carne vitulina modicum, aliquot præterea cochlearia hordei cocti in iure caponis. Bibit etiam vinum præsente ac concedente Simonio, & de aqua cinamomi non multum; quam solitus erat bibere, si quando à vino abstinere volebat. Cæterùm pharmacum parum admodum, aut nihil effecit. Aduolat interim sub vesperam Doctor Buccella à Veselino accersitus; auditaque historiâ morbi ex ipso Rege,

 mox orat,

mox orat, velit per aliquot dies prorſus à vino abſtinere. Cui Rex hoc ſibi à Simonio conceſſum reſpondit. Sed ſi multum ſitiat, bibiturum ſe aquam cinamomi, ſicut in prādio. Inſtat Buccella, pręſtare in tali caſu, loco vini, bibere decoctum ſaluiæ cum ſaccaro, & aliquid de acetoſitate citri; quæ potio grata eſt, & caput roborat. Simonius, audito aduentu Buccellæ per Veſelinum procurato, cœpit indignari Veſelino, quaſi ipſe non ſufficiat, & neceſſe fuerit alium vocare Medicum; ideoq; horâ cœnæ non fuit apud Regem. Quo tempore cum vinum Rex poſtularet, Buccella multum fruſtra reluctatus, tandem probè dilutum exhibere coact⁹ fuit. quod cum diſpliceret, bibit aquam cinamomi. Peractâ cœnâ, poſtquam venit Simoni⁹, locutus eſt cum eo Buccella, præſente Veſelino; dixitque, morbum, ſuo iudicio, eſſe valde grauem, ideoq; conſultiſsimum fore, primo quoque tempore vel ſanguinis miſsione, vel valido aliquo purgante medicamento ei occurrere. Simonius contrà, nullum ineſſe periculum, hæc remedia minimè eſſe neceſſaria: proinde Regis animum nō turbandum, vt qui ægrè in hæc conſenſurus eſſet; ſatis fore conſeruam ex floribus perſicorum ei exhibere, quam ipſe iam approbauerat, Magnifico Veſelino proponente; quę perfectura eſſet, quod Manna non perfecit. Buccella ſciens, ambobus etiam aliquid tale proponentibus, Regem ægrè perſuaderi poſſe, diu multumq; cum Simonio fruſtra altercatus, tacere fuit coactus. Sequenti die conſeruam hanc accepit; in prandio vinum bibit, permit-

tente Simonio; diem poſtea totum alacriter tranſegit. Porrò tempore cœnæ animaduertens grauiſsimè ferre Buccellam, quòd biberet vinum, vnum tantùm vini poculum hauſit, duo autem decocti ex cinamomo. A cœna curato vulnere, Simonius aggreditur eum confirmare, bono velit eſſe animo, nihil in morbo ineſſe periculi; quæ verba Rex velut indignabundus excipiens, ipſe quoque inquit, ſpero nihil fore. nihilominus ſubitò extenſis extra lectum pedibus, diſtenditur, conuerſis ſurſum oculis, retorto collo, fremensq; dētibus; & cum aſtantes clamarent, torquerent, vellicarent, vtq; ſe colligeret, hortarentur, Quid, inquit per DEVM facitis? Cui Veſelinus: Malè Maieſtas veſtra habuit. Tum Rex: Verum eſt, inquit. Interrogatus autem, quid mali ſenſiſſet: calorem, ait, mirum in modum caput perturbantem. Hæc porrò verba inſpirandi difficultas magnaq; anxietas ſecuta eſt. quæ cum dorſi & totius corporis frictioni non cederet, cucurbitulis hypochondriis adhibitis, & ſæpiùs iteratis, imminuta, mox frictione ſublata eſt. Tum verò animaduerterunt Medici, paroxiſmum horâ ferme eadem, qua antea die tertiâ, rediiſſe. Quapropter Buccellæ aſſentitur Simonius de pilulis Regi exhibendis. Datur ergo eâ nocte ante lucem maſſa pilularum cocchiarum drach. duarum in aqua lilii conuallii diſſolutane Rex pilulas eſſe cognoſceret, à quibus prorſus abhorrebat. adiectis inſuper extractionis hellebori nigri granis quinq;. Quæ quidem purgarunt eum quater tantùm, idq; modicè admodum. In prandio rurſus diſputatum

ſputatum eſt de vino interdicendo. ſed præualuit Simonii ſententia, Regi, paroxiſmum rediſſe ex aquæ potu, perſuadentis. Bibiturus ergo vinum reſpondit Buccellæ, qui,vt dilutum ſaltem biberet,contendebat, merum ſe priùs bibere velle,poſtea verò ipſam aquam, qua vinum diluendum erat. ſed nequaquam hoc præſtitit. Hauſtis enim duobus optimi vini poculis, ſufficere iam dixit,nec aquâ opus eſſe.Cibus fuit ouum ſorbile,hordeum in capi iure,eiuſdemq; capi pulpa,& pomum aſſum cum ſaccaro. Poſt horæ ſpatium cum Magnifico Vicecancellario Poloniæ multum locutus eſt, & liberrimè reſpirabat, vt vix ægrotare videretur. Nihilominus Buccella,videns,eum prorſus conſtituiſſe vinum bibere, & idcirco morbum fore periculoſiorem, fortè quòd ipſi exire non liceret, ſignificauit Domino culinæ Magiſtro, vt de Regis ſtatu Magnificum Cancellariũ ſecretò doceret. Morbum eum per ſe grauem, tum tantò grauiorem, quòd Medici in eo curando inter ſe diſſentirent.Viderent ergo MagnificiDomini Senatores,quid in tali caſu faciendum. Idipſum oretenus declarat Magnifico Vicecancellario Lituaniæ; & rogat,vt quam primùm etiã Magnificus Caſtellanus Vilnenſis de eo certior fiat;ſed res ſecretiſsimè agatur propter interdictionem Regis.Venit tempus cœnæ,in qua ſimiliter aquam bibere recuſauit,quòd diceret,ſe ex ea peius habere.Cum autem quieſcere vellet,en tertiò redit paroxiſmus. mitiùs tamẽn omnia quàm priùs; niſi quòd bis ad ſe traxit brachium ſiniſtrum. Tunc etiam iiſdem

iiſdem vſi ſunt Medici præſidiis,quibus antea. Sed cucurbitulis opus non fuit, quòd reſpirandi difficultas erat perexigua: quæ ſolis frictionibus,quibus admodum delectabatur,diſcuſſa fuit.Porrò cum ſingulis iam dieb. rediret paroxiſmus,inſtat Buccella,& obſecrat Regem: contenditq; acriter cum Simonio de non dando vino. Exorat Veſelinum, vt Vngaricè perſuadere ei conetur, nihilque intentatum prætermittit. Conſentit tandem Rex, & promittit. Fuit etiam diſſenſio inter Medicos de morbi natura;Buccella ipſum Epilepſiam vocante, cui ſuccederet anhelitus difficultas ob tenuem materiam à capite ad neruos tranſmiſſam; Simonio autem Aſthma:& caſum,Syncopen aſthmaticam eſſe aſſeuerante; morbum nullius periculi, cui vinum opitulari plurimum poſsit. Quæ diſſenſio fuit cauſa, vt vix in dando Regi medicamento conuenire potuerint.Nihilominus tamen conſenſerunt de caſtoreo ex aqua hyſſopi poſtero mane exhibendo:vtpote quod vtriq; morbo conueniens eſſet.Datum eſt ergo,additis inſuper tribus guttulis ſpiritꝰ ſulphuris.adhibitæ ſunt etiam cucurbitulæ quatuor ad ſcapulas: duæ verò in affecto crure, quibus octo circiter ſanguinis vnciæ extractæ ſunt. Datus & lapis Bezoar.Alcis quoque vngulam ſemper Rex geſtauit ad dextrum metacarpum.Horâ prandii Simonius non apparet,quiaBucellæ promiſerat eâ die taciturum ſe eſſe de vino.Buccella ergo,quò omnem occaſionem petendi vinum remoueret,varias præparat aquas, ex quibus vnam cum pane triticeo & ſaccaro diligen-

 ter agi-

ter agitatam. De ea percolata Rex bibit in prādio;nam aliæ non placebant. Cib⁹ idem ferè qui fuit antea:Mox verò a prandio aliam postulat aquam sibi in æstiuis caloribus familiarem, in qua videlicet conserua rosarum dissoluebatur. Hac hausta, dormiuit fermè duas horas placidissimè. Expergefactus Magnificos Lituaniæ Cancellarios iubet ad se intromitti: colloquitur alacriter, vt integrè sanum dicas. Vesperi non cœnat,ne vlla detur occasio morbi, redit tamen circa mediam noctem; sed leuiùs,citiùsque se colligit; spirandi quoq; difficultas exigua,neque vti antea durat. Simonius illico Veselino in aurem insusurrat, etsi vinum nō gustauerit Rex, nihilominus esse conflictatum, quod nisi postea bibat, breui moriturum. Consultant tunc Medici, conueniuntque manè repetere pilulas priùs datas; sed in bolo, quò fortiùs operentur. Sed nihilo plus effecerunt pilulæ,quàm antea. Ad prandium vinum Rex postulat,imò omnino dari sibi mandat. Simonius facilè concedit. Finito prandio,statim Buccella per nepotem suum Magnifico Vicecancellario Lituaniæ nunciat, certissimè Regem breui moriturum; etsi videatur loqui alacriter, morboque non adeò conflictari,vt de lecto suis viribus surgere & deambulare nequeat, tamen summo in periculo esse constitutum,nisi Deus misereri velit. His auditis,Vicecancellarius sine mora hoc totum refert M. Dominis Senatoribus reliquis qui aderant; non tamen indicat,à quo hoc acceperit;sic enim pepigerat monueratque Buccella.Horum consilio ambo Vicecancellarii eunt

rii eunt

rii eunt subito in arcem,quæsitum Medicos de valetudine Regis, & cum in tanto versetur periculo, cur non manifestiùs aliquid referant M. Dominis Senatoribus. Interim Rex,die ad vesperam inclināte,vinum iterum bibit,intincto priùs in eo pane. Valde enim sitiebat, & præter consuetudinem erat tristis, nihilq; loquebatur. Quem cum Buccella cōsolaretur multis verbis,bonoq; animo esse iuberet, Serenissim⁹ Rex respondit magnanimè,omnia sua in manus Domini se commendasse,paratum se mori, nec tristem esse, quasi mortem reformidet,aut doleat ex aliqua parte corporis; sed cum sentiat grauedinē capitis,libenter se tacere,si fortè somnum capere possit. Aduenerunt planè tunc Magnifici Vicecancellarii, quibus inscio Rege intromissis à Veselino in cubiculum Regio proximum,euocantur Medici, & de iis,quæ supra memorata sunt,interrogantur. Respondit primus Buccella,cum nemo Magnificorum Senatorum hucusque coram à se quæsiuisset, veritum se fuisse per internuncios rem, sicuti est, significare, Rege hoc seuerissimè prohibente. Sed cum iam seriò ipsimet hoc petant,sciant Regem grauissimè ægrotare, febre videlicet syncopali (noluit morbum, vt sentiebat, nominare,ne si vixisset Rex diutiùs, hoc ab ipso publicatum fuisse,ægrè tulisset) & se iudicare,ipsum certissimè breui moriturum.Quibus vix prolatis,accersitur ad Regem, qui iam iam corripiebatur paroxismo.conatur eum restituere quantum potest cum domino Lepselino.Interim Simonius (quod nunquam antea protulerat) ait

 Magnificis

Magnificis Senatoribus, ſe quoque arbitrari morbum eſſe grauem & periculoſum; ſed de morte iudicari non poſse, neque ſex horarum ſpatio, nec adeò integrę diei, niſi ex paroxiſmis proximè futuris. Tunc verò & ipſe vocatur ad iuuandam frictionem. Quem cum ſtatim ſubſecutus eſset Magnificus Veſelinus, Rex iterum corripitur; & quidem ita, vt iam non ampliùs reſpirare potuerit dominus ille noſter iuſtiſsimus & clementiſsimꝰ, quem meritò omnes probi deplorare nunquam ſatis poterunt. Redit cum lachrymis Veſelinus ad duos Senatores, eoſque ad mortuum Regem introducit. Tum illico claues theſauri & omnes, quas habuit penes ſe, tradit illis; quod mea quidem ſententia fecit admodum bene. Buccella autem propoſuit, ſi Domini caſum hunc celare velint, cum ipſi tantùm ſint conſcii, facillimè hoc fieri poſſe per aliquot ſeptimanas ac mẽſes etiam, quamdiu viſum fuerit Magnificis Dominis. Quam rem referendam cenſent ad alios Senatores. interim rem eſſe in ſilentio iubent. Nocte iam ingruente, cõgregantur Domini; decernuntque, vt duo Theſaurarii quàm primùm ſecretò in arcem ingreſsi theſaurum & cubicula, in quibus aliquid erat, obſignent, ipſique tota nocte cum duobus cubiculariis, duobusque Medicis ad cadauer vigilent; manè venturos omnes in arcem, & quid agendum determinaturos. Haud multò poſt noctu ſpargitur rumor de Regis morte. Simonius quoque eadem nocte vxorem ſuam cum pecuniis & ſuppellectili extra ciuitatem ablegauit. Summo manè, heri videlicet, pręſentib.

Dominis,

Dominis, magnꝰ fuit concurſus tumultusq́; aulicorum & querimonia de tam repẽtina ac inopinata morte Regis. Tunc Vicecancellarii narrarunt, ſe à Buccella de periculoſo eius morbo iam antea fuiſse præmonitos: ſed rem ſecretò actam propter Regis mandatum. Hodie manè iuſsu Dominorum cadauer, quòd iam intumeſceret, exẽteratum eſt a Chirurgis Regiis, pręſente Buccella, Goſlauio aulæ Medico, Apothecario præterea, & aliis. Doctor Simonius recuſauit intereſse. Viſcera omnia bene conſtituta inuenta ſunt, excepto quòd in veſicæ felleæ collo duo lapilli reperti, alter nucis auellanæ magnitudine, alter verò ciceris. ipſa autem veſica non felle, ſed pura lympidaque aquâ fuit plena. Hæc eſt vniuerſa hiſtoria, lugubris ſanè & miſerabilis: quam ad Magnificentiam veſtram mitto in omnibus eius particulis veriſsimam. Nunc in tam triſti caſu reſtat nihil aliud, quàm vt obnixè petam, vt pro ſuo amore ac beneuolentia mihi conſulere velit, quid ſit potiſsimè faciendum: etſi iam ferme decreui, poſtquam cognouero, q̃d mihi ſit de emerito ſalario ſperandum, rectà ad Magnificentiam veſtram proficiſci. quam diu feliciterq́; vnà cum Illuſtriſsimo Principe domino noſtro bene valere deſidero. Data Grodnæ 19. Kalendas Ianuarii 1586.

EPISTOLÆ GENEROSI DOMINI CHIAKOR EXAMEN, AD MAGNIFICVM KOVACIOVIVM TRANSYLVANIAE CANCELLARIVM.

Litteras ad Magnificentiam vestram scriptas, & ab eadem ad me missas accepi, quibus morbus & mors ipsa Serenissimi Regis Poloniæ Magni illius Stephani narratur. quas ego quidem auidissimè legi, quòd tam multis varijsque modis rem eam priùs narrari audiuerim, vt iam tantæ varietatis pertæsus, cui crederem, prorsus nescirem. Verùm agnosco his fidem esse dandam scriptis ab Vngaro ijs, qui in secretiori cubiculo Regi ægrotanti ministrarunt, familiari, ac de die in diem cuncta diligenter perquirenti, subitoque, videlicet secunda die à morte Regis hæc scribenti. Quapropter plurimas ago gratias Magnificentiæ vestræ, quòd animum meum hac in re dubium & anxium, quietum iam reddiderit. Porrò quod postulat Magnificentia vestra, de morbo Regis, duobusque illis Medicis quid sentiam, facere non possum, quin ei morem geram tot tantisque beneficijs eius deuinctus. Etsi non ignoro in quantum me discrimen conijcio, propter linguam Simonij petulantem minimeq; pudentem: qui si olfecerit, quæ scripsero cōtra ipsum, etsi cuncta verissima agnoscet, tamen sibi omnino temperare non poterit, quin aliquid garriat, ac blateret. Ea enim est hominis natura, vt litem desideret. Vtinam verò quantum valet lingua sua mordaci, tantùm etiam arte præstare potuisset in depellendo Regis morbo. proculdubio viuum eum superstitemque habuissemus in hunc vsq; diem. Sed ne sine causa me vereri Simonium, aut ex altera parte nimis temerariè ipsum reprehendere M. V. dicat, antequam rem ipsam aggrediar, pauca quædam præmittam, vnde & periculosa eius in medendo audacia inscitiaque, & impudens censores suos quamuis iustos vexandi peritia manifestè apparere potest. Magnificus Hieronym⁹ Niemsta Capitane⁹ Warsauiēsis agebat annum prope quinquagesimum vir obesus: breuis anhelitus, qui sæpe corripiebatur asthmate, à capite defluente inhærenteq; catarrho in bronchijs pulmonum. Is sæpiùs ab huius morbi incursionibus fuit liberatus à Medicis Regis & Reginæ alijsque nonnullis. nunquam autem in ipso paroxismo, quòd morbus id non pateretur, fuit ei missus sanguis. nihilominus semper, idq; breui tempore, pristinæ sanitati restituebatur integrè. sicut etiam Cracouiæ à Buccella postremò & Osko fuerat restitutus. Euenit autem, cum is tribus post diebus recideret in morbum, Buccellaque abesset, qui tum fortè cum Rege Cracouiâ discesserat, vt cum altero Regis Doctore Osko Simonium, qui tum recens in Poloniam venerat, vocari iusserit, in suam sa-

nè perniciem.

nè perniciem. Quippe is statim contendit cum Osko, sanguinem esse mittendum, nec ægrè illum deiecit, mittiturque sanguis, Doctore Osko ægroti curam prorsus renunciante. Altera die gloriatur Simonius apud Doctorem Foxium, se in despectum Oski aliorumq; ægrotum hunc, quem morbo non intellecto curabant de manib. ipsorum accepisse, nec non felicissimè sanguine misso sanitati restituisse. cum ecce postera die infelix Capitaneus difficultate expuendi suffocatus extinguitur, Simonio tamen duabus ante mortem horis constanter consanguineis ægroti affirmante, vitam ipsius iam in tuto esse & extra omne periculum. Non contentus tam atroci delicto, illud alio cumulat. quippe statim post mortem eius, scriptâ historiâ mendaci, fictoque nomine morbi ad libitum, grauiter obiurgat Oskum, quòd eius tum negligentiâ, tum artis inscitiâ mortuus sit. Similis planè casus euênit Lipsiæ, vbi non multò ante cœperat se venditare pro Medico, cum tamen per totum vitæ suæ cursum in publicis tantùm prælectionibus suos contriuisset annos. Illic, inquam, vocatus ad ægrotum ciuem quendam, cuius etiam curam gerebat Doctor Næuius, peruersis consilijs suis miserum ciuem necauit, & deinde conatus est omnem reijcere culpam in Næuium. perfecitque tantum apud Magistratum, vt in summo versaretur periculo causa Næuij innocentis. Possem recensere plura de hominis ingenio, linguaq; procaci. sed satis superq; amplum huius rei faciunt testimonium quædam eius scripta nihil ferè aliud, quàm scommata futilia, & rixas aniles, continentia. Vnde qui vitam desiderat quietam, minimè debet cum tali antagonista descendere in arenam. Quapropter submissè peto à M. vestra, vt si meum hoc scriptum Illustri domino gubernatori alijsque ostendere animus est, nomen meum prorsus reticere dignetur, ne ad aures illius perueniat, qui, cum non lacessitus contra Schekkium, Carpentarium, Erastum, Squarcialupum, & alios mille blasphemias & iniuriosa scommata euomuerit, totidem quoque me omnino impeteret. Si de veritate simpliciter inquirenda ageretur, facillimum esset hominem compescere. Sed in eo genere victoriæ, quam prædicat plenis buccis, cedo illi palmam, & me imparem esse fateor. Porrò nihil dicam in hoc Examine, quod firmis rationibus aut testibus nominatis non probem. Et quò faciliùs rei veritas appareat, antequam ad morbum & curationem Regis descendam, scire quædam oportet. quorū illud primum diligenter obseruandum, quod etiam proceribus nostris, totique Regno Vngariæ notum esse potest, Serenissimum Regem Stephanum natum fuisse ex patre, qui tertio post ipsum natum anno fluxione in [redacted] degenerante obijt. Mater eius pleuritide extincta est. Duos verò fratres, quos habuit, podagra ante quinquagesimum eorum ætatis annum confecit; adeò vt, si Stephanus Rex fluxionibus erat obnoxius, non tantùm id referendum sit ad eius corporis constitutionem & potus ac cibi rationem: sed

etiam,

etiam, & maiori quidem ex parte, ad hæreditariam familiæ proprietatem. Quòd verò fluxionibus cruris ſiniſtri primùm, poſtea dextri, non ſicuti fratres podagra laborauit, hoc fuit in cauſa. Nam cum aliquando grauem luxationem genu ſiniſtri paſſus eſſet, mox paucis interpoſitis à ſanatione diebus, morſus fuit à cane circa malleolos eiusdem tibiæ; vnde ſiniſtrum crus debile redditum cœpit fluxiones ſuſcipere, tum aperto adhuc exiſtente à morſu canis vulnere, tum etiam eo ſanato. quod non niſi poſt longum tempus & magna cum difficultate factum fuit, cum innouarentur fluxiones nouis vlceribus paruis circumcirca & in ipſa cicatrice exortis: quibus natura plurimos acres ſeroſosque exonerabat humores, non ſine graui dolore ac magnâ præterea moleſtiâ. Cum autem multa vanaque fruſtra tentata præſidia fuiſſent, tandem Chirurgi Germani operâ, contra Blandratæ præſcriptum, aſtringentibus medicamentis fluxiones illæ prorſus inhibitæ fuerunt graui cum diſcrimine vitæ. Retenta enim materia poſt tertium menſem caput petijt, vnde in Catalepſin incidit. quo tempore (memini) in aula Cæſaris apoplexiâ ipſum laboraſſe, rumor fuit. Sed liberatur feliciter à Doctore Blandrata paucis diebus, miſſo ſanguine copioſo ex brachio, ac denuo ad conſuetum locum medicamine attrahente adhibito. Abſtinuit tum Rex conſilio eiuſdem per totos tres menſes à vino, quò firmiùs roboraretur caput. verùm otiari non aſſuetus, venationibusque vt plurimum intentus, ingentem capiebat moleſtiam & dolorem pariter ex vlcuſculis illis apertis, fluenteque materiâ copioſâ. Quapropter ex Italia Medicum Buccellam accerſiuit Anatomicum inſignem & in vtraque medicinæ praxi magna cum laude verſatum, qui conſuleret, quomodo tutò ab eiuſmodi moleſtia liberari poſſet. Conſuluit is, fluxionem nequaquam eſſe impediendam, ſed loco vlcerum cauterium in crure excitandum. Quod mihi, vt & Blandratæ, placuit. Voluiſſet autem Buccella in brachio etiam alterum facere. ſed Rex vix quidem vnum permiſit. Fuit itaque apertum in dextro crure, poſtquam in Poloniam ingreſſus eſt. Verùm Buccella, exiſtimans non fore id ſatis, præter conſuetum venationis exercitium, ordinauit, vt, ſi quando aluum conſtipatam ſentiret, pruna Damaſcena ex infuſione ſenæ pro primo ferculo acciperet: & ſi quando non cœnaret, per totum corpus fricaretur ad ſudorem vſque; vtereturque interdum tepido balneo aquæ ad relaxandam cutim: & per hyemem theriacam ſumeret. Quæ omnia etiam nobis placuerunt. vixitque Rex proſperè multos annos, quamdiu nimirum Buccellæ obediuit. Verùm is animaduertens Regis animum difficilem ad quaſcumque medicas præſcriptiones, vir bonæ conſcientiæ, quò faciliùs opportuna, ſi quando ægrotaret, Regi perſuaderi poſſent, collegam habere deſiderat. Primò quidem Mercurialem Medicum inſignem: deinde Taruiſanum; Ioannem præterea Willenbroch Medicum Archi-

ducis Ferdinandi

ducis Ferdinandi, & alios; quemadmodum & ipſe reſciui ex ipſius litteris ad me, & ad Blandratam ſcriptis. Quin & M. veſtræ notum eſſe exiſtimo, quanta cum diligentia hoc quæſierit per Illuſtrem Cancellarium regni Poloniæ, per Magnificum Berzeuiceum, & alios, qui ad Medicos ſupra dictos Regis nomine litteras dederunt. Verùm, dum hæc aguntur, accipit Buccella à Mag. And. Duditio litteras. accepit & referendarius Tarnowski & Berzeuiceus à Domino Capitaneo Crepicenſi in commendationem Simonij. Quin et ipſe Simonius ad Buccellam ſcribit, ſtudium ei operamque ſuam, tanquam patri & præceptori ſuo, offerens. Quæ quidem cum ad ingens Buccellæ deſiderium accederent, facile eum mouerũt, vt apud Regem cauſam vnà cum Tarnouio et Berzeuiceo promoueret, Simonioque locum impetraret optimis cum conditionib. At verò Simonius, poſteaquam ad Regij corporis curam admiſſus eſt, promiſſorum oblitus, cœpit, abſente Buccella, ſenſim ſingula per eum ordinata improbare. Nec ſanè fuit ei difficile Regi alioquin difficili ad regulas Medicorum perſuadere, ne, vt anteà, ex Buccellæ præſcripto ſe gereret. Verùm is animaduertens, Regem paulatim Simonio aures commodare, videnſque Simonij vanitatem, arrogantiam & faſtum, cuius rei vel ipſi noſtri Legati fidem facere poſſunt, qui tum Cracouiæ aderant, ipſumque cognouerunt & fuerunt funeſti illius caſus ſpectatores Sigiſmundi Pozgai Baronis Vngari ab ipſo turpiter necati. Hæc, inquam, omnia animaduertens, aulam relinquere conſtituit. Sed Rex per Magnificum Giulanum dehortatur ipſum, & in ſignum amoris & gratiæ aliquot ei villas ad fines Pruſsiæ largitur, promittitque tertium conducere Medicum, ſi cum hoc conuenire non poſſit. Cuius quidem rei demandat curam tum Magnifico domino Philippouio inciſori ſuo, qui tunc in Italiam proficiſcebatur, tum reuerendo Poſſeuino et alijs; vt à Magnifico Giulano accepi, a quo minutiſſima quæque intellexi. Quorum omnium fidem præter ſupra memoratos facere poſſunt apud nos Magnificus Dominus Iohannes Bornamiſſa, Doctor Blandrata, & Doctor Menabenius, qui aliquando à Buccella, vt alter collega eſſet, fuit inuitatus. In Polonia verò teſtes eſſe poſſunt Illuſtris D. Cancellarius, Reuerendiſſimus Epiſcopus Præmiſlienſis, Mag. Berzeuiceus, Veſelinus, & alij. Sed ecce, dum hæc tractantur, ſuperuenit infelix dies, vt iam propoſitum aggrediar, qua Sereniſſimus Rex in morbum incidit. Vtinam verò tum adfuiſſet Buccella, proculdubio ab irrepente malo, ſicut & aliàs millies, liberatus fuiſſet. Expendamus autem, quæſo, initium morbi. Primùm grauedo illa totius corporis, quæ Regem inuaſerat, nihil aliud eſt Medicis, quàm ſpontanea laſſitudo; quæ iuxta Hypocratis ſententiam morbum prænuntiat. Et notat Galenus in libello de plenitudine, & quarto de ſanitate tuenda, totius corporis grauedinem abſque procatarctica cauſa, ab humorum multitudine, virium corporis com-

C paratione,

paratione, excitari. Illum verò sensum pulicum morsibus similem, videlicet sensum leuiter vlcerosum, humoris peccantis qualitatem indicare, nempe humorem eße leui acredine præditum. Notat præterea, maiorem colligi plenitudinem hyeme locisque frigidis, & in ijs, qui densa sunt cute, frequentiùs; quali Rex noster fuit, vt vix ac ne vix quidem, vehementi quantumuis exercitio defatigatus, sudaret. Fuit porrò tunc in Lituania regione frigidißima, eratque mensis Decembris, quando correptus est. Aptißimum tunc fuit præsidium ab imminenti morbo Regem vindicaturum euacuatio, quam Bucella expeditè admodum ac facilè præscripserat, vt à cœna videlicet abstineret, ne nouâ superueniente materiâ augeretur morbus, adhibereturq; frictio calidis linteis per vniuersum corpus, qua per sudorem materia peccans eliceretur. Quò enim natura vergit, ait Hippocrates, eò deducere conuenit, cum igitur ad cutim propelleret humorem, quod ex sensu mordicante apparebat, per cutim euacuare talem humorem conuenientißimum erat. Felix igitur, sapiensque consilium Buccellæ, quod Regi diligenter obseruandum fuißet. At quid Simonius? Suadet, vt soli fricentur artus, ne humores impensiùs commoti, fluxione crus molestent. Si ex animo consuluit, quid dici potest ineptiùs? Nonne optabilius, vt humores iam per se commoti, fortiùs postea agitati, crus petant aliqua cum molestia, mox per Cauterium euacuandi, quàm vt leuiter irritati, caput inuadant ad perniciem, vt factum est? Præscriptum quidem Buccellæ non simpliciter eò tendebat, vt fortiùs commouerentur humores, sed vt iam superfluus commotus humor per sudorem euacuaretur.

Quòd si aliquando, ob nimiam eius in venis collectam copiam, subsequebatur fluxio, id ad maiorem tamen incolumitatem parua cum molestia cedebat. At nouum Simonij inuentum, vt soli fricentur artus, mox duo Generosi vini pocula bibat, quid poterat aliud, quàm turgidos magis et effrenatos reddere humores, qui vnà cum vini vaporibus caput peterent ad Regem necandum? Promittit autem somnum ex potu vini, præter artem sanè, in capite præsertim sicco, & acumine ingenij prædito; cum potiùs vigiliam, calore aucto, quàm somnum inducere poterit. Quòd si callidè hoc fecit, cum incredibile sit, nesciuiße eum principia ista, quæ & Empyrici norunt, opportunam certè nactus est occasionem, Buccellâ absente, gratificandi fortaße alicui iniquo Regis nostri serenißimi mortem expetenti. Quod & si poßibile est, tamen non aßero, ac Deo ipsi, ijsque, quorum interest, inquirendum iudicandumque relinquo. Hoc tantùm dico, non veneno, vt iam rumor erat, opus fuiße: sed dolosam hanc peruersamque curationem Simonio ad Regem dominumque suum è medio tollendum sufficere potuiße. Sed reuertor ad rem. Aristoteles describens duarum actiuarum qualitatum operationes, ait, calidi eße dilatare, [redacted], humidum attrahere, &c. Contrà frigidi constringere, incraßare, intrò pellere, &c. Qua in re Philosophi & Medici conueniunt. Cum igitur non dormienti Regi caput incaluißet, ob generosi vini sursum transmißos vapores, aucto etiam proculdubio calore, tum ex arduis cogitationibus, tum ex plenitudine corporis et intempestiua fortè per lectum agitatione, sequitur ei caput fuiße admodum repletũ eâ horâ, qua in auram frigidam iuit. Aura verò hæc potuit craßiorem aliquam materiam in alterutro cerebri ventriculo, medio vel posteriori congregare; spiritus meatum obstruere, ac motum denique epilepticum, quo Rex cecidit, inducere. Quod autem Simonius aliter, quàm Epilepsiam, morbum hunc vocarit, etsi scio à paucis eum annis medicam artem profiteri, tamen non poßum mihi persuadere, adeò rudem & hebetem eße, vt ex tam patentibus signis, tamque manifesto casu, morbi proprium nomen non cognouerit: sed Regem contristari, astantesque perterrere nolens, honestiori vocabulo vti maluit; quòd, qui Epilepsiâ corripiuntur, & qui vertiginem patiuntur, vtrique cadere poßunt, sicut Rex cecidit. Cum autem idem cum Buccella contendit, ne tunc quidem ignoranter eum feciße existimo, sed animo potiùs contentione auido; quia enim Buccellam rem acu tetigiße animaduertit, putauit homo sophista laudisque percupidus, aliquid noui sibi fingendum eße, quod postea sesquipedalibus verbis euincat; ac triumphet, solum se morbum Regis intellexiße, solum conuenientia præsidia adhibuiße, solum sapientem & doctum (si Dijs placet) solum denique, qui, si Rex vixißet, eum sanitati restituißet. Mehercle piget pudetque me descendere ad Simonij sententiam examinandam, cum vel ipsæ mulierculæ homines que rudes facilè cognoscant ac probè intelligant, quotiescunque quis repente, sublato omni motu corporis voluntario sensuque, cadit, ac conuulsione afficitur, & si non omnes partes æquè euidenter conuellantur, vt pote nondum altis radicibus actis, hunc epileptico & caduco morbo corripi. Notat autem Galenus primo de locis affectis, omnem morbum protinus ab initio eandem sibi ipsi naturam & eßentiam sortiri, nec differre nisi magnitudine à iam absoluto & maximo. Quæ sententia & si de similarium partium morbis prolata est, de cæteris non minùs vera est. Nec verò fuit obscurum epileptici morbi principium in Rege, cum prima vice correptus, cadens, sic omnem amiserit mentem, vt accepto vulnere, quomodo cecidißet, vel id factum fuißet, minimè recordaretur, & quamprimùm ad se reuersus, potuerit sua sponte ad lectum ire. De partium conuulsione nemo fuit qui obseruaße potuerit. sed aliis vicibus (vt D. Chiakor notat) oculorum euidentißimè conuellebantur musculi, temporum, & colli; quod ex torto collo, fremitu dentium, sursum versis oculis, & brachio bis ad se tracto plus satis manifestum est. semper autem, ad se reuersus, optimè compos fuit mentis, Signa huius morbi, dum simul concurrunt, cla-

ra & vnicuiq; nota, soli nouo Doctori Simonio Syncopis asthmaticæ signa sunt, non cerebri affecti. Nonne omnis Syncope in vniuersum paßio est cordis? Atqui Rex nihil de corde, vel ore ventriculi, vel alia corporis parte conquestus est; sed tantùm de capitis debilitate & calore. Colligit præterea ex his signis, morbum ipsum eße Asthma, paroxismum autem, seu casum illum, Syncopem asthmaticam, Symptoma asthmatici morbi. At de ratione symptomatis est morbum sequi, velut vmbra corpus: vt Galenus ait. Die autem dominico, Simoni, non laborauit Rex Asthmate, sed totius corporis grauedine. Ergo iuxta tuam philosophiam præceßit in primo insultu Symptoma morbum: videlicet effectus, causam suam efficientem; vt prior fuerit effectus violentißimus, quàm causa, quæ illum producere debebat. Porrò si Asthma, cur à te nulla exhibita medicamenta, nulla vnguenta admota ad Asthma curandum respirationemque ipsam faciliorem reddendam? Et, si Syncope, cur nullum cordi topicum medicamentum adhibitum? Profectò nihil ineptius potuit fingere Simonius, vt Buccellæ contradiceret. Verùm ad hæc, ex literis Domini Chiakor manifestum est die 8. & nona eius mensis, post primum insultum & ante secundum, difficultate anhelitus minimè Regem laboraße, et proinde non Asthmate. Scribit siquidem, die nona inspirandi difficultatem, magnamque anxietatem subsecutam eße. ergo non præceßit. Et die decima absque omni difficultate diu locutus est, liberrimeque respirauit. Itidem die vndecima dormiuit placidißimè, & collocutus est alacriter. Nunquam igitur paroxismos, præter vltimum, difficilis præceßit respiratio, Asthmatis indiuisibile symptoma. Quæ si paroxismos ordinariè sequebatur, id non quidem in aliquod pulmonum vitium referendum est, & ideo ad Asthma: sed ad neruos thoraci inseruiētes, vt probè iudicauit Buccella; qui malè affecti tenui defluente à capite materiâ, frictionibus, dorsi præsertim, iuuabantur; vt potè à neruis per fortes calidasq; frictiones deriuatâ ad partes carnosas infestante materiâ. Demum morbus Asthma nunquam sic recurrit, vt vel singulis diebus, vel alternis per horam plus minusue graui difficultate anhelitus affligat, mox penitus desinat, iterum sequenti die inuadat, & frictionibus dorsi discutiatur. Iam satis superque ostendiße videor craßam ignorantiam vel potiùs admirabilem temeritatem & audaciam Simonij. Quamquam ne his quidem opus, vbi oculi sunt testes. Aperto enim cadauere, omnia viscera, & per consequens pulmones bene constituti sunt reperti. Oculis tum videre, manibusque tangere potuißet, dogma suum eße futile, falsum, damnosum. Recusauit nimirum intereße, proculdubio conscius falsitatis suæ, ne in os redargueretur, quòd pulmones in naturali suo statu eßent nullâ materiâ repleti, quòd obstinatè vinum Regi in Epilepsia morbo cronico concedendo, quinque dierum spatio eum necauißet: quòd denique ipsius culpâ in hunc morbum

morbum incidißet. Verùm, vt iam ad curationem descendam, quid dicam de purgatione mannæ? Aut intellexit morbum eße Epilepsiam, aut iudicauit eße Asthma. quomodocunque intellexerit, certum est, vtrumque morbum a craßâ seu viscidâ pituitosâ materiâ oriri, & Epilepsiam interdum ab humore melancholico: quos humores tum per se, tum etiam ratione distantiæ loci eße contumaces & rebelles ad euacuandum, in confeßo est apud omnes etiam mediocris experientiæ Medicos. Præbet nihilominus mannam Simonius; quæ proprietate sua non craßam pituitam, minùs melancholicum humorem: sed tenuem tantùm bilem, eamq; à partibus propinquis, euacuat. Facilè autem manna, robustum nacta ventriculum eumque famelicum, antequam suam in aluo laxandâ exerat operationem, in nutrimentum præripitur: minimâ præsertim dosi & in iure capi. Quòd si, vt medicamentum, operata fuißet, non humorem peccantem, sed bilem non superfluam in maiorem perniciem eduxißet. Siquidem bilis vehiculum est ad craßos contumacesque humores faciliùs euacuandos. quæ sola priùs euacuata, contumaciores alios, qui morbi fuerant causa, reliquißet. Propter quod adeò craßum in arte erratum profectò dignus est non scuticâ, sicuti ludicrè ab ipso Squarcialupus inducitur, quod me non sine risu legiße memini, sed fuste bene craßo à carnifice vapulare, & sic in scholam Lipsiensem, vnde prosilijt, ad docēda sophismatum nugamenta relegari. Quòd si dolo malo id operatus est, laqueo ad altas furcas suspendi vel palo affigi meritus est, qui tantum Regem benefactorem suum interemerit. Sed fortaße non ausus est potentius exhibere medicamentum. Verùm memini, Simonium potentißimum consuluiße Regi bene sano, quo tres etiam vel robustißimi viri occisi fuißent. quod quidem exhibuißet, nisi obstitißet alter Medicus. Nunc igitur veritus, scilicet, leuißimum obtulit & in exiguâ dosi; quod vix sufficeret puero, vel mulieri prægnanti, quæ febri laboraret. Libet autem hoc quoque narrare; quippe quod, si non aliud, sufficientiam Simonij egregiè demonstrat. Quamprimum is fuit in Medicum Regis ascitus, aduentante vere, nescio qua religione ductus, insinuauit Regi, purgans vt sumeret medicamentum pro tuenda valetudine; promittens daturum se tale, quod citra molestiam eum ab omni humore peccante expurgaret; facto tamen priùs, maioris fidei gratiâ, periculo in multis diuersarum ætatum ac temperamentorum; quin etiam in semetipso, coram Regia Maiestate. Aßentitur Rex, atque Buccella laudat. Die itaque constituta adest Simonius cum suo pharmaco ex infusione trium drachmarum pulpæ colocynthidis & corticū ellebori nigri in pauco vino ter sublimato. Tum verò prohibet Buccella, qui iam olfecerat, ex quibus constabat; rogatq; Regem, ne velit, nulla vrgente neceßitate, tam validum sumere medicamentum. Id quod etiam Rex fecit. Verùm Simonius vehementer excanduit. ac, dum lau-

 daret

daret ſuum pharmacum, præſente Rege & alijs, cochleare tantùm eius ſumpſit: Ex quo ea die innumeras ſedes habuit, quamuis clyſteria ex lacte adhibuerit, & theriaca vſus ſit, ad vim pharmaci frangendam. Veſperi ad Regem vix potuit præ virium imbecillitate peruenire. Attulit verò tam violentæ purgationis cauſam, quòd iam antea habuiſſet aluũ laxam & quòd eius naturæ eſſet, vt, cùm excandeſcit, velut medicamento vſus, purgetur. Vtrùm autem cochleare vnicum, aut totũ, quod attulerat, Regiæ Maieſtati exhibere voluerit, eâ die non dixit. at ſi tertiam tantùm partem Rex ſumpſiſſet, dubio procul ex nimia euacuatione animam reddidiſſet. Potuiſſetque facilè & callidè Simonius culpam in Pharmacopolam conijcere, qui, cum ex tribus granis pulpæ colocynthidis ſcribere iuſſus eſſet, ex tribus drachmis, perperam intellecto Medico, notaſſet; vnde ipſe quoque ex vno tantum cochleari vitâ periclitatus fuiſſet. Sed quomodo tum egerit, Deus nouit. Nullâ certe vrgente neceſſitate, vehementiſſimum eo tempore propoſuit pharmacum. Nunc, cum maximè opus eſſet, debiliſſimum, & in minima doſi non ſolùm conſulit, ſed etiam Buccellæ validius proponenti, quantum poteſt, à principio contradicit. Nam & conſerua perſicorum à Mag. Veſelino, non medico propoſita, & ab ipſo commendata, quid ſibi quæſo vult? Aptiſſimum ſanè medicamentum eſt pro puerulis ad necandos lumbricos, & ad educendum, ſi quid eſt tenuis bilis in communibus propinquis vijs. Non eſt ſcriptum an mouerit aluum: ſed cum ſit æquè imbecille medicamentum ac manna, nec veriſimile ſit de ea tres vncias accepiſſe Regem, qui à dulcibus abhorrebat, nihil fortaſſis, vel naturales tantùm fæces eduxit. Ita duos dies opportuniſſimos neglexit Simonius. quibus diebus antequam firmaretur morbus, ſtrenuè totum corpus euacuando, fortiterque à capite trahendo, ſpes non exigua iuxta artem erat, morbum non reuerſurum. At leuiter agendo, vinumque temere concedendo, en ſequenti nocte recurrit. Tum verò demum Buccellæ aſſentitur Simonius de pilulis exhibendis, ſcilicet non habens, quid iam contradicat, & agnoſcens errorem ſuum. ſicut etiam de ſanguine mittendo conſentit; ſed ſerò nimis, contra præceptum Hippocratis et tritum illud: Principijs obſta, ſerò medicina paratur, Cum mala per longas inualuere moras. Porrò conceſſio vini incredibile eſt, quantum nocuit Regi noſtro. Nam & die menſis ſeptimâ, fumans ad caput eum ad primum paroxiſmum præcipitauit, & ſequentib. poſt dieb. radices morbi ſtabiliuit, & medicamentorum vires acriter oppugnauit: & sereniſſimum Regem denique, robuſtum adhuc viuidumq; immaturè mori magna vi coëgit. Cum ſecundum rationem alioqui, artemque medicam poſt exhibita, etſi tardè ad modum, pharmaca nec non factas qualeſcunque purgationes, ſi à vino abſtinuiſſet, maxima tamen ſpes fuiſſet eius liberandi. Vinum ergo qui Regi conſuluit, vino Regem necauit, quod qua arte factum ſit, Deus

ſit, Deus ipſe ſit iudex. Rumor ſanè maximus eſt, ſecundam vxorem veneno ab eo ſublatam eſſe; quod Lipſiæ vulgatum eſt apud omnes. vbi etiam duæ eius filiæ virgines commorantur, pauperem potiùs vitam eligentes, quàm patrem ſequi. Scimus hominem eſſe nullius prorſus conſcientiæ, timorisque diuini, obſcœnum ſcortatorem, quamuis vxorem iuuenem & lepidam habeat ipſe iam ſenex; lucro omnia metientem, quod vel ex hoc manifeſtum eſt. Nam cum pro dote [redacted] filiæ duo millia talerorum à Rege impetraſſet, vt eos lucraretur, filiam miro ſtratagemate ad votum caſtitatis adegit, in monaſteriumque intruſit. Fœnus, vbi maius ſentit, ibi collocat pecuniam ſuam; munera ab omnibus impudenter efflagitat; nullas deniq; occaſiones, quantumuis iniquas, facultates corradendi prætermittit, homo impius & perfrictæ frontis, cuncta ad quæſtum per fas & nefas redigens. Quæ omnia etſi [redacted] verißima ſunt; tamen ex altera parte, dum ſeriò conſidero, ſereniſſimum Regem ita amabilem fuiſſe ac placidum, vt vel Tygridis animum in ſui amorem pellicere potuiſſet, qui multum Simonio, præter annuam mercedem ſatis amplam, donauit, & à quo plura Simonio erant indies ſperanda; adduci non poſſum, vt credam, ſceleratè doloseque hoc ab ipſo perpetratum fuiſſe, ſed animo potiùs importunæ gloriolæ (vt antea dixi) percupido ac contentionum cum alijs, licèt multò ſe præſtantioribus Medicis, per quàm ſtudioſo, cæca denique cupiditate Regi per omnia blandiendi, alterumque Medicum in eius odium inducendi. His inquam artibus, non alijs, Regem dominum ſuum clementiſſimum è medio ſuſtulit infelix Simonius. cuius mores & ſufficientiam paulo diligentius, vt ignoti Magnificentiæ veſtræ, deſcripſi. Buccellæ autem mores & ingenium, vtpote Magnificentiæ veſtræ & omnibus notiſſimos, prætermiſi. Atque hoc meum eſt iudicium, de lugubri morte Regis Magni Stephani, quod Magnificentia veſtra tantopere à me deſiderare videtur. Bene valere Magnificentiam veſtram ex animo cupio. Datum Claudiopoli Tranſyluaniæ Idib. Februarij. 1587.



